



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

5 Ex quibus capitibus generatim nascatur obligatio restitutionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

DVBITATIO IV.

Quid sit restitutio, & cuius virtutis actus.

D. Thomas quaest. 62. art. 1.

15 **R**estitutio quid. Notandum est, Restitutionem proprie significare positionem rei in pristinum statum, & quia dum res ablata redditur, in priorem statum reponitur, ideo significat redditionem rei ablatae, sine iniuria, sine iniuria ablata sit; quod aliter Latinis dicitur Redhibitio, & redhibere. Sic depositum & commodatum dicitur restitui, & etiam mutuum; quia saltem secundum speciem est idem. Emptor vero pretium numerans non dicitur restituere, sed soluere: & qui damnum intulit, compensat, non restituit.

16 **E**st actus Iustitiae commutativa. Apud Theologos tamen hoc nomen accipitur generalius, ut etiam comprehendat omnem illati damni compensationem; & sic nihil est aliud, quam rei acceptae redditio, vel damni illati compensatio. Hoc modo qui damnum intulit, dicitur facere restitutionem, dum illud compensat, & aequivalens repondit. posset etiam hoc modo emptor soluens pretium, dici facere restitutionem, quia reddit rem in aequivalenti; quamvis non ita vilitate.

Hinc patet, Restitutionem esse opus externum Iustitiae commutativae; quia huius virtutis est constituere aequalitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compensationem; quod fit restitutione.

17 **D**iffert a solutione & satisfactione. Nec obstat, quod etiam error contra Iustitiam distributivam commissus, sarcitur restitutione, & ita videatur etiam esse opus Iustitiae distributivae; quia saepe in actu distributionis continetur debitum Iustitiae commutativae, quod debitum violatur prava distributione: sicque non est mirum, si opere Iustitiae commutativae instaurari debeat, ut ostensum est cap. 1. dub. 4.

18 **R**espondeo, A solutione differt, quod non omnis solutio proprie fit restitutio, nec contra. dicimur enim soluere quod ex voto, iuramento, charitate aut misericordia debitum est (nam & ex his virtutibus debitum & obligatio aliquid dandi in proximum nascitur) non tamen proprie dicimur restituere aut facere restitutionem. & e contrario, qui reddit depositum, restituit, non tamen solvit. Restitutio enim postulat ut res quodammodo sit eadem vel in se, vel in aequivalenti: Solutio, ut sit diversa.

A satisfactione vero, Primò, Quòd satisfactio fit quiddam generalius: omnis enim restitutio est satisfactio, non contra. Secundò, Quòd satisfactio respiciat personam, dum praestat id quod alteri satis est, etsi non fit aequivalens debito. restitutio autem respicit rem, dum praestat aequivalens, vel rem ipsam exhibet. Teriò, Satisfactio proprie fit pro iniuria illata, & honore violato, quamvis nihil damni illatum sit. restitutio vero proprie vbi damnum illatum, vel res alterius ablata. Sic Deo satisfacimus, cui tamen nihil proprie restituere possumus, cum omnia perfectissime sint ipsius. Quartò, Satisfactio fit etiam pro damno irreparabili, restitutio solum pro reparabili.

DVBITATIO V.

Ex quibus capitibus generatim nascatur obligatio restitutionis.

19 **R**espondeo, eam ex duplici capite nasci nempe ex iniusta acceptione, vel ex re accepta siue iuste, siue iniuste. colligitur ex D. Thom. qu. 62. art. 6. & 7. docet Caiet. ibidem, & Couarr. ad reg. Peccatum. 2. p. in principio.

Per Injustam acceptionem intelligo non solum furtum, sed etiam damnum quodvis per homicidium, adulterium, stuprum, furtum, infamiam, siue alio modo inique illatum. quicumque enim alteri damnum infert, aufert aliquid ab eo; & sic dicitur teneri ratione iniusta acceptionis.

Per Rem acceptam intelligo non solum eam, quae à domino ablata est, ut equus, vestis, pecunia; sed etiam eam, quae ex iustitia alteri debita est, & apud me retinetur; ut legatum alteri, aut venditum, quod apud me est.

Quòd autem ex priori capite nascatur obligatio restitutionis, Probat; Quia qui damnum intulit, violavit aequalitatem, quam poscit Iustitia commutativa: ergo ut aequalitatem illam sarciat, tenetur lege iustitiae ad restitutionem, etiam si nihil emolumenti acceperit.

Quòd etiam ex secundo capite patet, Quia qui habet rem alterius, etsi nullam iniuriam intulerit, habet tamen plus quam suum; & verus dominus tantumdem habet minus quam suum. Vnde ut fiat aequalitas iustitiae, per quam cuique tribuitur suum, debet domino restitui. Vide D. Thom. artic. 6. & 7. qu. 62. quamvis haec duo capita paulò aliter explicet; sed res est eadem.

Dices, Qui obligatur ex stipulatione, non tenetur ex altero horum capitum: ergo haec non sufficiunt.

20 **R**esponderi potest, talem non proprie teneri ad restitutionem, sed ad solutionem. Si tamen nomen restitutionis generatim accipiat pro omni redditione, qua res ex iustitia debita redditur in seipsa vel in aequivalenti, sic assignanda sunt tria capita omnis restitutionis. Primum, Ex iniusta acceptione, seu damno illato. Secundum, Ex re accepta iuste vel iniuste. Tertium, Ex contractu. Nam mutuum & pretium rei emptae, & similia, non debentur proprie ratione rei acceptae, (nam fieri potest ut haec non extet) sed ex contractu.

21 **N**otandum est, inter haec capita esse magnum discrimen. quando enim aliquid debetur ex iniusta acceptione, vel ex contractu; manet obligatio restitutionis, etiam si res debita pereat, sine nostra culpa: quando vero debetur tantum ratione rei acceptae, non manet obligatio, re absque culpa nostra pereunte, ut patet in deposito.

Ex his plurima possunt deduci, ut patebit ex sequentibus.

DVBITATIO VI.

Vtrum nascatur obligatio restitutionis ex damno dato absque culpa, vel per culpam leuem extra officium & contractum.

22 **N**otandum Primò, tripliciter fieri posse ut damnum alteri culpa mea obueniat. Primò, Si

G 3 Si